Jacobi: Quaestio logica
de accidente communi, praedicabili

A. M. D. G.

QVÆSTIO LOGICA,

DE

ACCIDENTE COMMVNI, PRÆDICABILI,

SVB

Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi Dñi.

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris ac Professoris, eiusdemq; Facultatis Decani, Consulis Cracouiensis & in Alma Vniuersitate Cracouiensi; Studij Generalis

RECTORIS.

IN

Perangusto, Diuorum Iagellonum, Lyceo, Publicæ disputationi,

A

M. IACOBO BALTAZAROWICZ Ph. D. S. C. G.

PROPOSITA.

Anno à Partu Virg. Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Octauo. VII. Idus Septembris.

IN
STEMMA
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Quâ ratione, queas Academica tangere Sceptra
Inuidia! an Diuûm, hæc Arma, fauore carent?
Crux fugat, Anna beat, Iagello ac Heduigis orant;
Supplicibus Votis, CANTIVS ingeminat:
Omnipotens Genitor! Iagelonica Sceptra gubernes!
Conſeruans Patriæ, tuta, ſerena, diu.

IOANNES CANTIVS NIEWIAROWSKI,
Studioſus Eloquentiæ.

CHARISTERIA
DIVO PATRIARCHÆ
IOANNI CANTIO,
Regulæ, ac Firmamento ACADEMIÆ.

TEmerarius certè, ne dicam, impudens essem: si auderem, in celeberrimæ Matris Academiæ, cuius Tu Diue Patriarcha, splendidissimum lumen & columen es, nomen augustum inuolare; aut sine Tuis auspiciis vsurpare. Quotquot enim iam inde à primo felicissimo sui, ad hæc vsque tempora, exordio, Te præter, nominis huius Viri floruerunt, vel etiamnum florent; omnes ad vnum & singuli, pietate cumprimis insignes, moribus graues, Virtutibus illustres, ingeniis magni, doctrinâ & eruditione eximii; Ecclesiæ, Patriæ, Academiæ defensores, auctores, ac promotores acerrimi, longè gentium, ad in-

ad inuidiam maleuolorum vſque, nunquam non audiebantur fuiſſe, hodieque audiuntur. Quos inter, nomine & honore illuſtres, & omni genere laudum ac virtutum nobiles Viros, quis ſum ego? aut quæ eſt in me facultas? equidem, dum ipſe in mentem meam introſpicio, meamque tenuitatem, omni cogitatione pertractans, ex me ipſe percuntor, facilè deprehendo, me longiſſimè à tanti nominis abeſſe ſplendore ac maieſtate. Verumenimuerò, cùm ratione animoque contemplor: quonam tandem modo, & quibus gradibus, cùm ii, quos præſentes intuemur, tùm ſuperiori memoriâ Reipub. noſtræ Ciues, ad tàm arduum tàmque difficile, Academiæ decus, & excellentiam peruenerunt? omnes & ſingulos, vel me tacente, vno ore fateri exaudio: Tuo olim D. P. in Deum, ſingulari amore; in Eccleſiam, incredibili ardore; in Patriam, eximiâ pietate; in Diuum Iagellonem Academiæ huius Parentem; non fucato & adumbrato candore: Tuo denique, nominis in huius veros ac fideles cultores, maximo patrocinio & clientelâ, id ſibi felicitatis obtigiſſe. Teſtatur Suadæ medulla Tullius: Socratem, oraculo Apollinis ſapientiſſimum, primum omnium Philoſophiam cælo deuocaſſe, inque Vrbibus collocâſſe; hominesque còëgiſſe, de vita & moribus rectè inſtituendis cogitare. Dabis veniam mihi D. P. Si Te paulò liberiùs, Sarmaticum & Academicum Socratem appellauero. Tu enim, Eccleſiæ, Patriæ, Academiæ, amore plenus ſemper cùm eſſes: præſagireſque, vti prudentiſſimus Philo-Theologus ſimul & Logiſta, non

ſine

sine Diuino quodam numine; quæ & quanta olim imminerent sibi, voluentibus fatis, mala: & quòd labentibus rebus Academicis; Sarmatarum Vniuersitatem labi sit necesse: primus omnium Academicorum, omnes neruos animi & ingenii eò intendisti; vt, primis, mediis, nouissimis Academiæ & Reipublicæ, formidolosis etiam temporibus, prouideretur. Bis itaque Hierosolymam, Romam ter, non tàm priuato; quam communi Reip: & Academiæ bono, atque amore inflammatus, adiisti: ibidemque ardentissimis precibus (Diuorum Iagellonum & Iagellonidarum semper memor) Vniuersum Sarmatiæ Regnum, & Academiam, cum suis Regibus, & Rectoribus, Deo commendasti: atque inde reuersus, exantlatis, in Statione & Professione plusquam ardua & difficili, tot laboribus, curis, vigiliis, inediis; omnes & singulos Academici nominis Ordines, de Ecclesia, Patria, & Academia optimè mereri docuisti: ita, vt solus ille Spartam Academicam satis coluerit, qui Te fuerit imitatus. Sensit Tuæ istius peregrinationis ac Professionis pondus, & momentum, Ecclesia: quæ, ex Tuæ religionis & deuotionis instituto, aucta est; tot Antistitibus piissimis; tot mystis, honoris Diuini amantissimis. Sensit Patria: quæ Tuâ Tuorumq; imitatorum disciplinâ; tot Viris, quâ togâ, quâ sago clarissimis, est illustrata: quorum consiliis & præclare gestis, quoad Res Polona stetit, vsq; eò (vt experientia testis loquitur) pacatissimum & florentissimum Sarmatiæ Regnum fuit. Sensit Academia: quæ tot maleuolorum aculeis, contra ius fasque

omne

omne, ne dicam impiis & sceleratis, pressa; stat tamen, etiam egentissimis & turbulentissimis hisce temporibus inuicta! & stabit æternùm duratura. Sensi adextremum vel egometipse: quoties in fidem, clientelam, & patrocinium contuli me Tuum. Meritò itaque in periculis imminentibus, vocitat Te in auxiliarium Ecclesia. Meritò, in tutelarem & Patronum, cùm aliàs, tùm potissimùm cùm ad pauciores & incitas redigitur Polonia. Meritò in Rectorem, promotorem, & gubernatorem perpetuum Academia. Meritò & ego, impræsentiarum, ad Te ô D.P. & Patrone colendissime! tanquam ad Aram & sacram anchoram confugio. Cuius enim conuenientiùs patrocinio, meum Accidens inesse? aut, cui ego firmius inhærere possim, quam Tibi? ô Pater! Pater mi! currus Israel & auriga noster! qui firmamentum & Regula nominis Academici, dono singularis prouidentiæ Diuinæ, nobis natus, datusq́; laboribus etiam Academicis, angoribusque tentatus per omnia fuisti; quò nostris conatibus tantò libentiùs faueres patronus. Faue igitur, iuua, protege nomen Academiæ, intercede precibus; & ab omnibus aduersariorum impetitionibus, vt Matrem Academiam, ita me Suum alumnum, Tuumque D. P. clientem ac humile mancipium, defende.

Ita Vouet & precatur

M. IACOBVS BALTAZAROWICZ,
C. G. S.

QVÆSTIO LOGICA,

DE

ACCIDENTE COMMVNI, PRÆDICABILI.

V. Accidens Logicum triplici Definitione à Porphyrio explicatum: Eſſentialiter Vniuerſale: & conſtitutum in eſſe Quinti Prædicabilis, per ordinem ad Subiecta, quæ accidentaliter denominat: differat à propria Paſſione nec ne?

CONCLVSIO I.

Accidens Logicum, triplici à Porphyrio Definitione, rectè est explicatum.

COROLLARIA.

I.

Substratum Definitionis Accidentis sumitur, omne id, quod ad Essentiam rei, de qua prædicatio instituitur, non pertinet: idque siue sit Substantia, siue Accidens; siue ens reale, siue rationis.

II.

Particulæ, adesse & abesse, acceptæ secundo-intentionaliter, ad quintum Prædicabile pertinent.

III.

Subiectum Accidentis corporei, est totum compositum; non verò Materia sola.

IV.

Quæ Accidentia habent causam permanentem in Subiecto, dicuntur Inseparabilia: quæ verò non perma-

permanentem, Separabilia; separabilitas tamen vel inseparabilitas, sumitur respectu Indiuiduorum.

V.

Attributa Priuatiua, Remota, & Propria, excluduntur à quinto Prædicabili.

CONCLVSIO II.

Accidens, prout est quintum Prædicabile, est Essentialiter Vniuersale.

COROLLARIA

I.

Accidens quinti Prædicabilis, est accipiendum secundo-intentionaliter, & pro attributo accidentario; quod neque est de essentia rei, neq; fluit ab illa.

II.

Accidens commune in Abstracto, est Vniuersale, vt Quo: in Concreto Verò, vt Quod.

III.

Ad rationem veri Vniuersalis non requiritur, vt essentialiter in suis inferioribus includatur.

IV.

Respectus prior ad inferiora, quibus essentialiter; quàm ad inferiora, quibus accidentaliter conuenit: non tollit rationem Vniuersalitatis à quinto Prædicabili.

V.

Non destruitur Vniuersalitas quinti Prædicabilis, ex sola destructione existentiæ Subiectorum.

CONCLVSIO III.

Accidens per ordinem ad Subiecta accidentaliter denominata, in esse quinti Prædicabilis constituitur.

COROLLARIA

I.

Abstractum, & Concretum Accidentis Communis, idem sunt, quoad rem significatam; sed quoad modum significandi, differunt.

II.

II.

Accidens, in habitudine ad inferiora essentialia, tantùm habet rationem Generis vel Speciei; non verò accidentis.

III.

In prædicatione accidentali, non prædicatur ipsũ nomen: sed res significata per nomen; denominatiuè tamen.

IV.

Prædicata accidentalia, vt actu exerceant prædicationem affirmatiuam; requirunt tanquam conditionem, existentiam subiecti.

V.

Aliud est, quod secunda intentio, quinti Prædicabilis, faciat naturam accidentaliter prædicari de Subiectis: aliud, quod ipsa secunda intentio, sit accidentaliter Vniuersalitas.

CONCLVSIO Vltima.

Propria Passio, & Accidens Commune realiter differunt.

COROLLARIA

I.

Errant maxime, qui existimant: omnia Accidentia esse proprias passiones.

II.

Inter Accidentia quæ oriuntur à toto composito: alia oriuntur ab eo ratione Formæ: alia ratione Materiæ.

III.

Accidentia, quæ ratione Materiæ proueniunt; per Accidens se ad Speciem habent.

IV.

Proprium quarto modo sumptum; necessariam connexionem habet cum Principiis, à quibus dimanat.

V.

Accidentia Proprij, per prius conueniunt Speciei: mediante verò illâ, Indiuiduis.